

**Prolusio inauguralis de acmella ceylanica novo fluoris albi remedio /
[Johann Adrian Slevogt].**

Contributors

Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Gollnerianis, [1703]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/auep4fhx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DECANI FACULTATIS
MEDICÆ

JO. HADRIANI
SLEVOGTII, D.


ANAT. CHIR. ET BOTAN. P.P.
MED. DVC. PROVINC.

PROLVSIO INAVGVRALIS

De

ACMELLA CEYLANICA

NOVO FLVORIS ALBI REMEDIO



J E N Æ,


TYPIS GOLLNERIANIS.



Vi amplissimum *Materiae* medicae ambitum nostrae aetatis cum *angusta* penu prisci aevi conferunt, illum quidem *vasti corporis*, hanc vero *umbra ejus brevissima*, qualis est, cum Sol ad culmen caeli venit, speciem exhibere deprehendunt. Postquam enim *Philosophiae naturalis* Cultores *puri theoretici* esse desierunt, & *sterili* in Aristotelem commendatione defuncti, ad *ποίνων* deflexerunt, relictisque nudis fictisque de corporum constitutione *speculationibus*, per *Chymiam* res sublunares, tantum non omnes, in minimas particulas resolvere, earumque *inzeranea extrorsum* vertere, hinc singula phaenomena per *Mathesin* ad justas *motus ac mensura* regulas & leges examinare, resque invisibiles, *microscopiorum* ope, mentis atque oculorum censurae exponere consueverunt; reperta est nobilis illa clavis, abditos Naturae aditus recludendi, qua mediante hodie in omnibus mundi angulis, quos olim divitiarum tantum gratia mercatores perreptabant, a sagacibus ingeniis, per artificiosa experimenta, *incredibilia incrementa*, in genere quidem artibus universis, in specie autem *ἤ ἰεση ἰασην* comparantur, & quotidie vel recentissime inventa, vel apud exterarum gentes jam diu usurpata medicamenta ad nos perveniunt, nostrisque temperamentis apta & salutaria redduntur. Quod vero antiquissimis temporibus Medicina adeo *paucarum herbarum fuerit scientia*, haud prorsus defectui adminiculorum, quibus in praesentia abundamus, adscribendum est, cum adhuc aliae ejusmodi *simplicitatis* rationes alle-

allegari possint. Quamvis enim, autore Celso, in præfat. lib. i. *Æsculapius rudem scientiam medendi excoluerit, ejusque filii, Podalirius & Machaon, Agamemnonem secuti, non mediocrem opem attulerint suis commilitonibus; ipsos tamen vulnerum magis, quam aliarum aegritudinum rationem habuisse, internosque morbos tum ad iram Deorum, relatos, & ab iisdem sanitatem postulatam esse, ex Homero discimus; veroque simile videtur Celso, inter non multa auxilia adversa valetudinis plerumque tamen eam bonam contigisse, ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitaverat; siquidem hæc duo prius in Græcia, deinde in Italia corpora affluerint.* Cum etiam olim ex minus artificiosa commistione radicum, herbarum, aliorumque simplicium, purgantium inprimis ignorata aut neglecta correctione, ut plurimum sapor ingratisissimus, nauseam stomacho creans oriretur, corpusque subinde vehementius commoveretur, atque adeo, quod expressis verbis Celsus urget, *multiplex ista medicina vix aliquot, ea utentiū, ad senectutis principia perduceret:* hinc eam, ceu mino necessariam ac tutam, diu nulli clari viri exercuerunt, removitque Asclepiades magna ex parte, quæ vel Zeno, vel Andreas, vel Apollonius copiose de facultatibus medicamentorum memoriæ prodiderant, & ad ipsius victus rationem potius, quam hodie *Dietam* appellamus, omnem curam suam transtulit. Donec, teste eodem Celso, nonnulli magno studio literarum disciplinas agitantes, *robur corporis sui inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuentes, ad Artem medicam juxta ac Philosophiam animum appellere cogerentur.* Hac occasione medendi scientia, usque ad Pythagoræ, Empedoclis, Democriti & Hippocratis tempora, *sapientie pars habita, morborumque curatio & rerum naturæ contemplatio ab iisdem autoribus exulta fuit, Medicisque inde Pbysicorum nomen mansisse videtur.* Cum autem Hippocrates, *vir & arte & facundia*

in signis, cui, secundum § 4. lib. de Arte, ex versione Lindeniana, invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa sunt, quod ipsum notum, quam occultum esse præstet, similiterque imperfecta ad finem perducere, ζυνέσιος ἐπιθύμημα καὶ ἔργον εἶναι, prudentia votum & opus esse videbatur, Medicinam, quam κατ' ἐξοχὴν passim absolute τέχνην, Artem vocat, ab aliis disciplinis segregare, eamque indies ampliolem ac perfectiolem reddere conaretur; tantos equidem successus habuit, ut in plerisque medicinæ partibus θαυμασίως, propter prognosios autem excellentiam, ἰσόθεος appellari meruerit, & tam Celsi tempore, præf. in lib. 2. autoritas ejus & præfagia ab iis etiam, qui in curationis methodo ab ipso recesserunt, optima judicata fuerint, quam hodie etiam a prudentissimis Medicis magno in pretio habeantur: quoad materiam medicam tamen nihil admiratione dignum habet. Est enim hæc valde tenuis, & infratanti viri dignitatem posita, redoletque tabulas, ab ipso, ut ajunt, ex Deorum Medicinaliū templis collectas; in quibus ægri, in fanis Æsculapii & Apollinis pernoctantes, aut in publica loca expositi, remedia, vela Numine in somno percepta, vel a prætereuntibus emendicata, consignaverant, easque gratitudinis ac memoriæ causa, in locis sacris suspenderant. Inveniuntur autem lib. 2, de morb. mul. adversus quasdam Fluoris albi species cathartica nonnulla vehementia, grana scil. cnidia, esula, veratrum, elaterium, &c. deinde styptica multa lactinia item & alia, quæ vix, eo ordine saltem, quo ibi posita sunt, sine damni metu usurpari queunt, & ne utiquam rebelli ejusmodi malo debellando sufficiunt. Superbit igitur hodierna Medicina pluribus pariter ac securioribus, magisque comitis & efficacibus auxiliis, quorum non exiguum numerum, licet Clarissimus Medicinæ Candidatus

CAROLUS MAXIMILIANUS 

in Dissertatione Inaugurali de curatione nobilis Matronæ, Fluore albo laborantis, exposuerit, ut ulteriori eorum recensione
 non

non opus esse videatur: unicum tamen adhuc adjiciam, aliunde allatum, & paucis hactenus adversus album fluorem familiare; sed *tertia* tamen vice, cum lætissimo successu, ab Amico quodam, re ipsa magis, quam nomine ac functione Medico, usurpatum. Est istud, quantum ex relationibus clarissimorum virorum, nominatim D. Jo. Georg. Volckameri, in Eph. Germ. Dec. III. An. 7. & 8. obs. 210. deinde D. Speneri, in epistola ad celeberr. Valentinum, & D. J. G. Kisneri, Francofurt. Practici felicissimi, in literis ad me scriptis, nec non exactis Erudit. Lips. colligere licuit, herba, quæ *Hacmella, Acmella, Achmella, Atemella & Atmella* ab Insulæ Ceylan, unde in Europam transfertur, incolis appellatur. Ratione characteris pertinet ad plantas, Cæsalpino *corymbosas* dictas, chrysanthemis nonnullis affines, quorum flores, secundum Tournefortium, *flosculosi sunt, poppo carentes*, ubi flosculi *pentapetaloides stellati* seminibus insident parvis, oblongis, depressis, margine cinctis, ex fusco griseis, *duobus uncis* præditis, unde tota planta *Bidens*, & propter foliorum figuram, ab Hottone *Bidens urtica folio*, J. Breynio, autem in dissertatione Lugduni Bat. anno 1700. habita, unde figura in Actor. Er. Lips. an. 1701. Januar. translata est, *Bidens Zeylanica, folio lamii* salutatur. Nascitur in locis umbrosis copiosissime; dum unica planta subinde decem milia seminum generare solet. Tota equidem in usum medicum trahitur; potissimum tamen folia ejus, media æstate, antequam flores erumpunt, colliguntur, & in umbra siccata asservantur. Mastiganti ab initio insipida videntur, paulo post autem linguæ caloris aliquem sensum imprimunt, sine acrimonia. Suntque singulare præsidium nephritide, ischuria & dysuria inveterata laborantibus, calculumque renum & vesicæ, blande resolutum, sine dolore expellunt. Adducit Hotton, apud Volckamerum, in testimonium non solum militem, qui plus, quam centum ægros ita restituerat, sed Societatis Indicæ Gubernatorem quoque & alios, nobilem plantæ hujus efficaciam

asserentes. Modus utendi est *in infuso*, cum ∇ calida, cui apud
Hollandos mel, vel glyzyrrhiza, vel sirub. de alth. Fern. admi-
scetur. Bibitur, ut thee, mane & vesperi, aliquot ante cibum
horis, non solum à Magnatibus, sed plebe etiam. A potu est
sudandum, & corpus a frigore custodiendum, vitandique cibi
falsi & acidi. Cum per diaphoresin non minus, quam diure-
sin agat, ideo in febribus etiam, colica, vertigine & mensium
obstructione egregie se gerit, an samque dedit, ut in *fluore albo*
quoq; sub examen vocaretur; idq; cum successu. Quibus infusum
minus arridet, per spiritum vini & liquorem Arak Essentiam
inde & Extractum parant, & cum vino Rhenano vel Gallico
veteri, aut Potu Coffe, guttas, pro re nata, 12, 16, 20 & am-
plius propinant, effectusque inde egregios sentiunt. Provide
autem adhiberi debent ex Acnella parata remedia, (id quod
de aliis lithontripticis etiam valet) ubi calculus vesicam gran-
dior occupavit; ne intempestive versus urethram pellatur.
Plura in præsentia non addo: cum, quod reliquum est chartæ,
vitæ potius ac studiorum clarissimi Candidati nostri hi-
storix exponendæ, impendere debeam. Patria ejus est in
Franconia Cunreuthum, Castrum testamentarium perillustrium
Dominorum ab Egloffstein, cujus Præfectus, prudentia rerum
agendarum & optimis meritis maxime inclytus, Jacobus
Andreas Held/anno æræ Christianæ, supra millesimum sexcen-
tesimo octogesimo, altero mensis Junii die, felici partu, ex
charissima Conjuge, SUSANNA CORDULA KREBSIA,
Matrona probitatis ac vitæ, honestissime actæ, laude admo-
dum conspicua, suscepit. Prolixum foret, & a scopo ferme
alienum, longa oratione Majores nobilissimæ HELDIANÆ
ac KREBSIANÆ familiæ prosequi, eritque satis in præsentia,
WOLFFGANGUM FRIDERICUM & CHRISTOPHORUM
HELDIOS, CHRISTOPHORUMq; & ANDREAM CHRI-
STO-

STOPHORUM KREBSIOS, Jureconsultos celeberrimos, meritisque in serenissimam Domum Brandenburgensem, illustrissimamque Remp. Norinbergensem spectatissimos viros, avos nostri & proavum avunculumque, nominasse; quorum res præclare gestæ ipsi exemplum virtutis, & incitamentum ad honores, per studia & mores inculpatos aspirandi, præsentarunt. Quamprimum animus filioli fundamentis religionis ac bonarum literarum excipiendis idoneus videbatur, nil prius habebant optimi parentes, quam ut tenero pectori mature semina pietatis & honeste vivendi rationes instillarentur; quod ipsum per manuductionem Kuceri, cujus curæ privatæ erat commissus, biennii spatio satis bene processit, ut postmodum in Gymnasio Heilsbrunnensi à M. WENSELIO, Collega tertio, ad humaniora studia duci, eademque in Scholæ trivialis Svinfurtensis suprema Classe, sub directione M. EBERI, Conrectoris, eousque continuare posset, donec in Gymnasium receptus, ad Philosophicas acroases admitteretur. Audivit autem D. SCHMIDIUM, Poliatrium & Professore Physices, Philosophiam naturalem, M. & Profess. HEINISCHIUM, Logicam & Metaphysicam, & M. Engelländern/ Prof. & Rectorem Gymnasii, Mathesin solide & perspicue explicantes. Cum autem animum ad Medicinam adjecisset, nostram præ aliis elegit Academiam, in qua omnes atque singulas Apollineæ artis disciplinas se commodissime apprehendere posse, non frustra confidebat. Receptus anno M. DCIC, d. 3 Febr. a me, isto tempore Rectore Academiæ, in numerum Studiosorum, præmissa repetitione Logicæ & Metaphysicæ in collegiis HEBENSTREITIANIS, Matheseos autem in HAMBERGERIANIS, in quibus experimenta quoque physico-mathematica curiosissima, cum novellarum utilissima explicatione tradita accepit, sine mora auditoria medica, publica non minus, quam privata adiit, ibiq; exlectionibus D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII, Hæredit. in Schwarza/ Theoret. P. P. famige-

ratissimi, Com. Pal. Cæs. & Consil. Sax. spectatissimi, physiologicis, pathologicis & practicis maximum incrementum studiorum hausit. Nec silentio præteriri voluit solertissimas explicationes Aphorismorum Hippocraticorum, à D. ERNESTO HEINRICO WEDELIO, PP. Extra-Ord. Med. Duc-Prov. Vinariensi, & Poliatro Jenensi celeberrimo, publice institutas. Meo lateri adhæsit per integrum fere quadriennium constanter, sive publice botanicam, sive privatim anatomiam, chirurgiam aut chimiam exponerem. Interfuit enim tribus Collegiis anatomico-chirurgicis, quatuor dissectionibus cadaverum utriusque sexus, in theatro publico, multo pluribus autem judicialibus, duobusq; insuper exercitiis chimico-pharmaceuticis. Ad praxin privatissima mea usus est manu ductione; ut non solum morborum historias ab ipsis ægris, eorumq; internunciis audire, sed ad lectos decumbentium etiam accedere, medicamentorumq; misturam, applicationem atq; operationem observare ipsi liberam esset: cum & modesti, & seduli, gratissimiq; discipuli partes ubiq; tueretur. Cum nunc, venerandi Parentis jussu, Academia reliquenda sit, petiit ante menses aliquot receptionem in numerum Candidatorum, superavitq; jamdudum duo examina privata, physiologicum scil. & pathologicum, ut tertium tantum practicū, quod rigorosum vocant, restet, cui specimen publicum præmitti debet. Conscendet itaq; favente Deo, futuro die Jovis cathedram, & supra memoratam dissertationem, sub meo præsidio, defendendo, notitiæ in arte, cujus Doctor appellari cupit, acquisitæ, exemplum edet. Quem actum ut Magnificus Dominus Pro Rector, & Patres Academici conscripti, cæterique omnium ordinum Hospites honoratissimi, una cum egregia charissimorum Commilitonum corona, honorifica sua præsentia splendidiorum reddere velint, est quod officiosissime & peramanter ab iis peto. P. P. Sub Sigillo Facultatis. Jenæ, d. XXIV Jun. MDCCIII.

(L. S.)